Delabor, Deus et sub specie solum
humanâ propero cernere sordidum.
Si dicenda mihi Crimina, quæ mali
patrârunt homines, longa foret mora;
Sed vero minor hoc Fama fuit malis.
Brutorum latebris horrida Mænala,
Cyllenîq; feros transieram Vepres:
Hinc tectum petii diritis Arcados
cum noctem traderent sera crepuscula.
Advenisse DEUM signa dedi novi:
his vulgusq; preces cœperat addere,
sed temsit rabies vota Lycaonis
dicens: Experiar, num DEUS hic novus
sit mortalis, erit nec dubitabile
verum. Nocte gravem me requie parat,
ignotâq; cupit me nece perdere.
Huic veri placet hoc experientia.
Nec contentus eô Rex fuit impius
missi de celebri gente Molossiâ
unius jugulum dissuit obsidis
et sic semineces parte calentibus
artus mollit aquis, parteq; torruit
flamis sacrilegis. Quos posuit simul
in Mensas: ego tum limina perdidi,
Hospes cum meruit, vindice flammeo.
Quo facto subitò territus aufugit
ruris nactus ubi muta silentia
clamans exululat ceu lupus: et loqui
frustrà vult, rabiem colligit os suam:
et cædis cupidus vertitur in pecus,
nunc gaudens etiam sanguine. Antea
in Villos abeunt, inq; pedes manus.
Et forma veteris signa Lupo manent.
Sola est canities pristina, pristinus
est Vultus violens, sunt oculi truces,
permansit feritas, quæ fuit antea.

Sigismund Ebersbach [illegible]